



**Quæstionum Canoniarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. V. An Capitulares præsentés, possint absentibus præsigere certum
terminum electionis, etiam breviato termino juris?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

onis? Resp. Capitularem citatum ad diem electionis constituendum, sed venire recusantem, non esse rursus citandum ad ipsam electionem, notificandò illi diem electionis faciendæ, si de hoc jam aliunde habet notitiam; secus, si hunc nesciret; ratio primæ partis est, quia eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet; Innocentius in c. Ecclesia, h. t. num. 1. ratio secundæ partis, quia statuere diem electionis, & eligere, sunt diversi actus; unde renuntiatione illius, non censetur renuntiatum huic; excipe, nisi in fraudem noluerit venire ad primum actum, scilicet, ne dies electionis ad ejus notitiam perveniret; tunc enim debet haberi pro vocato etiam ad electionem, gloss. recepta, in c. Ecclesia, V. vocato. Excipe 2. nisi prima vice citatus sit ad totum negotium electionis; tunc enim alia citatione opus non est juxta gloss. receptam in c. 2. de dolo & contumac. V. non teneris, in 6.

1873. Quæres 4. an Capitulari, qui diem electionis aliunde scit, competat jus agendi de contemptu, si non sit vocatus ad ullum actum ex prædictis? Resp. negativè. Nam quando denuntiatio alicui faciendæ est præcisè, ut ei notificetur res aliqua, tunc non debet necessariò fieri scienti, juxta reg. juris, 31. in 6. & tradit Bartolus in L. Emptor, 8. C. de evictionibus: sed in hoc casu denuntiatio electionis faciendæ Capitularibus est præcisè, ut illi, qui volunt, & commodè possunt, electioni intersint, c. quia propter, 42. h. tit. ergo. Dixi præcisè. Nam si ei, cui aliquid denuntiandum est, ex ea notitia incumbit aliquid faciendum, non obstat, jam sciri. Sic Emptor venditori denuntiari debet, sibi motam esse litem super re vendita, esto venditor sciat; quia debet ei denuntiari, ut sciat, qui se defendat, L. 1. de periculo, & commodo rei vendite.

q. V.

An Capitulares presentes, possint absentibus præfigere certum terminum electionis, etiam breviato termino juris?

1874. Resp. posse, si adsit justa causa, & saltem duæ partes Capituli in hoc conveniant. Quia quando Collegium, seu Ca-

pitulum est in congregando, vis, seu potentia Capitularis consistit in duabus partibus, L. nulli, 3. cum seq. ff. quod cujusque universitatis nomine; & jus, certum tempus electioni præfixit, in favorem Collegij; Abbas in c. cum nobis, h. t. nu. 9. Sed hoc intellige, quando jus convocandi est penes Capitulum; nec extat consuetudo in contrarium; qualiter esset in casu receptæ consuetudinis, quòd Decanus, vel Senior Capituli, convocare soleat. Not. tamen, quòd in casu talis consuetudinis, nec Decanus, nec Senior sine consensu Capituli possit abbreviare terminum electionis jure definitum, cum præfixus sit in favorem Capituli. Neque dicas, in dato casu consuetudo dat illi jus congregandi absentes; ergo etiam breviandi tempus jure definitum. Resp. enim, N. conseq. quia consuetudo dans facultatem in uno casu, ad diversum extendi non debet. Quibus positis:

1875. Quæstio est 1. an tempus electionis, jure definitum, possit prorogari? Resp. posse, si aliqui ex Capitularibus, ob justum impedimentum, venire non possint intra illud tempus, vel ob Ecclesiæ utilitatem longius absint, arg. c. ne pro defectu, h. t. ibi: justo impedimento cessante, Layman, c. cum inter, num. 2. h. tit. Si autem presentes, absentibus vocatis, dederunt certum terminum comparendi ad electionem, his non expectatis non possunt procedere ad electionem terminò nondum elapsò, nisi expectando Ecclesiæ damnum, aut præjudicium aliquod evererit. Nam licet illos vocare non tenerentur ampliatio terminò, vocando tamen cesserunt huic juri suo, sed sine præjudicio Ecclesiæ; & gratia absentibus facta, intempestivè revocari non debet, c. unic. de commodat.

1876. Quæstio est 2. an, si qui Capitularium discedant ex Capitulo jam congregato, & revocati redire nolint, reliqui possint ad electionem procedere? Resp. 1. posse, si remanentes faciant duas partes Capitularium, vel saltem majorem partem respectu digressorù, gloss. in c. cum inter, h. t. V. Capituli. Nam postquam Capitulum semel est legitime congregatum, & inter congregatos oritur dissensio, stari debet iudicio eorum, ubi est major pars Capitularium legitime congregatorum, c. 1. de his, quæ fiunt à majori parte Capituli. Unde nota, in dato casu non requiri, ut vocentur iterum,

rum, à Capitulo sponte digressi; paris enim contumacia est, legitime vocatum non venire, & post adventum discedere; intellige, sine necessitate, c. certum, 11, q. 3. & c. 1. de iudicijs. Hinc tali casu, abeuntes ex Capitulo, non censentur, nec numerantur inter Capitulares, Pirhing nu. 137. de elect. Si autem remanentes non faciant duas partes, vel majorem partem Capituli, non possunt procedere ad electionem, vel ceptam profectui. Nam sic potius censentur conventum dissolvere; cum ibi sit Capitulum, ubi est major pars; sic Abbas in c. cum nobis, h. t. nu. 10. excipe tamen 1. nisi appropinquet terminus electioni à jure præfixus; 2. nisi sit speciale periculum in mora. 3. nisi aliud habeat consuetudo, vel statutum; Innocentius in cit. c. cum nobis, nu. 6.

§. VI.

An Elector possit mittere Procuratorem, qui suo nomine eligat?

1877. **R**esp. non posse, nisi tria concurrant. 1. nisi sit absens, & aliàs vocandus esset; 2. nisi justò impedimentò ipse venire non possit, de quo etiam juratus, si exigatur, fidem faciat; 3. nisi uni de Collegio, non autem extraneo, vices suas committat, c. quia propter, 42. q. illud autem, de electione, ibi: illud autem penitus interdicitur, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justòque impedimento detentus venire non possit: super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramentò: & tunc, si voluerit, uni committat, de ipso collegio, vicem suam. Excipe, nisi obstet proprium Ecclesiæ statutum, juramentò Capitularium confirmatum, quo contrarium sit decretum; tunc enim etiam tribus illis concurrentibus non potest mittere Procuratorem. Quæ autem in dato casu censeantur justæ causæ impedimenti, definiendū est arbitrio viri prudentis; cujusmodi sunt infirmitas gravis, vel metus ob capitales inimicitias, &c.

1878. Quæres 1. quid dicendum in casu, quo Elector quidem adest, sed ob infirmitatem in loco electionis comparere non potest? Resp. quòd tunc possit constituere Procuratorem ad eligendū loco sui; sic Layman,

Tom. I.

de elect. Prælat. q. 43. Nam ubi justum habet impedimentum, non est privandus usu juris sui, & constat ex c. si quis, 46. h. tit. in 6. ibi: si quis justò impedimentò detentus in electionis negotio nequeat commodè interesse: potest nedum uni (prout dicitur in Concilio generali) sed & pluribus committere vices suas, dum tamen eorum cuilibet det in solidum potestatem; & erit tunc melior conditio occupantis. Si autem ipse malit per se dare suffragium, scrutatores tenentur ipsum accedere, & votum ejus requirere. Tenentur enim inquirere vota presentium; præsens autem est, & censetur, qui propè in hortis est, vel in civitate, vel in continentibus ædificijs, hoc est suburbij adjacentibus, L. præsens, 5. cum seq. ff. de Procarat. Sylvester, V. electio 1. q. 5. dicto. 1.

Quæres 2. an, si quis egrediatur à loco, ex quo vocandus erat ad electionem, ejus Procurator rejici possit? Resp. posse; quia principalis, procuratorem constituens, debet impedimentò detineri in eo loco, à quo debet advocari, & vocandus fuisset, dum ipsius nomine Procurator agit; Greg. Tholosanus de elect. c. 6. nu. 7. & gloss. in c. penult. h. tit. V. detentus, in 6. Hoc tamen videtur intelligendum de tali egressu, ex quo merito præsumi possit, quòd ipse ad locum electionis venire non impediatur. Cæterum principalis in dato casu procuratori suo tenetur dare speciale mandatū faciendi fidem juratam, seu jurandi in animam suam, de justò ipsius impedimento. Nam aliàs, si Capitulo exigente juramentū, jurare non posset, repelleretur, ut non sufficienter instructus, gloss. V. detentus, c. penult. h. t. in 6. hoc tamen juramentum reliqui Electores possunt procuratori remittere, si velint; tum, quia in favorem eorum iuductum est; tum quia in extraneum possunt totum jus eligendi transferre, c. causam, 8. h. t. ubi electio in Abbatissam, facta per Episcopum, in quem Moniales electrices electionem activam contulerant, approbata fuit ab Alexandro III. ergo multò magis possunt unius suffragium extraneo concedere, loco unius ex Capitularibus; Tholosanus cit. c. 6. nu. 8. sed ad hoc requiritur, ut fiat unanimi presentium consensu nullo discrepante, arg. c. cum omnes, de constit. & Tholosanus cit. c. 6. nu. 8.

Quæres 3. an Procurator absentis, &

Fff

impe-

1879.

1880.